



## **Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales**

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Virtute Ac Sacramento Pœnitentiæ Decisiones

**Chiericato, Giovanni Maria**

**Augustæ Vindelicorum, 1730**

Decisio XXII. Argumentum. Mutorum diversitas ac Mutitatis quatuor causæ ex fonte Medicinæ extractæ declarantur. Muti an possint contrahere Matrimonium? Profiteri in Religione? ac alia publica officia ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94661)

atque exposita nimis manifesto periculo infamationis propria; & nullum Præceptum reperitur de scribendis peccatis, sed solum de iis rememorandis per diligentem conscientiae examinationem. Bonacina d. tom. 1. de Poenitent. Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 1. num. 4. Castropalaus tract. 23. disp. Unica. punct. 10. num. 3. Collegium Salmanticens. de Sacram. in genere d. tract. 6. c. 6. n. 6. & Gobatus in Theol. Experim. d. tract. 6. num. 515. & seqq. ubi addit, quod si quis more priscorum Anachoretarum velit in Papyro suos defectus conscribere, ut de eis securius possit se accusare, non est reprehendendus. Data vero huiusmodi scriptura, duæ ex illa insurgunt observationes. Una est, quod si quis reperiret dictam chartam, & legeret, peccaret mortaliter, etiamsi in ea conscripta essent solum peccata venialia; quamvis fuisset etiam lacerata, & foras projecta; & aliquis colligeret, ac combinaret fragmenta, eaque combinata legeret. Gobatus d. tract. 6. num. 517. Imò si Iudex per hanc scripturam deveniret in notitiam alicujus flagitii, vique ejusdem extorqueret à Reo Confessionem, & procederet ad punitionis Sententiam, teneretur eam rescindere, & totum processum abolere; ea ratione, quia Confessio Sacramentalis, & manifestatio delictorum ejus intuitu facta non probat in Judicio. Mascard. de Probationib. conclus. 377. num. 1. & 2. ubi DD. Et alii plurimi, quos cumulat, & sequitur Diana part. 3. tract. 4. resol. 111. alias 112. nec non part. 5. tract. 11. resol. 27. quas studiosus Lector, habens Dianam Coordinatum, reperiret in tom. 1. tract. 8. resol. 42. & 43. Observatio Secunda est, quod hi, qui scribunt peccata sua in charta, possunt genuflexi ante Confessarium, ei illam legendam tradere, dicendo, *confiteor omnia, quæ hic scripta sunt, & cæcæ absolvi valent, ut ex doctrina Eminentiss. Cardin. de Lugo de Poenitent. disp. 15. à num. 80. & seqq. docet idem Gobatus d. tract. 6. num. 520. usque ad num. 525.*

Cæterum contratalem methodum consistendi ita scribit Emin. Card. de Lauræa disp. 10. de Poenitentia art. 5. num. 67. Salya pace, contrarium mihi videtur dicendum. 1. Quia si hoc asseratur, facile invenietur maxima fidelium copia, & puellarum præcipue, quæ hac dispensatione vellet uti. 2. Quia cum notum non sit, cujus gradus, aut magnitudinis debeat esse verecundia, facillimè quibusque sibi caminesse existimabit, & paucis post annis vocalis Confessio non erit in usu. 3. per Doctorem præfatum scilicet Cardin. de Lugo) num. 86. est grave, & mortale peccatum, morem hunc in Ecclesiam inducere; quia contra consuetudinem communem: Ergo non facile sunt admittendi casus de permittenda Confessione per scriptum. Mastr. quoque in 4. Sent. disp. 5. q. 17. n. 472. ita scribit: Non omnino approbo, licet sua probabilitate non careat, quod docet Lugo disp. 15. sect. 5. num. 80. sufficienter debito suo satisfacere poenitentem etiam voce pollentem, qui data prius scriptura Sacerdoti, quam legat, in qua continentur peccata, post illam lectam subjungit per voces: de his omnibus me accuso, quia jam ore confitetur, quantum satis est, neque enim necessarium videtur, inquit quod per voces intra Sacramentum explicet omnino peccatum. Hoc, inquam, omnino approbare non possum, quia nulli dubium est, poenitentem magis verecundari peccata sua per voces explicando, quam per scriptum, ut enim fert commune adagium, Littera non erubescit. Cum ergo verecundia sit pæna à Christo inventa in hujus Sacramentum institutione, hac non est minuenda, si nul-

adeest necessitas, ut est in casu proposito. Idem sentit Reginaldus lib. 6. num. 81. ubi allegat S. Thomam in Quodlibet. 1. art. 10. docentem, debere poenitentem propriis verbis peccata sua confiteri, nisi sit lingua, aut voce impeditus; cui ego addo textum in cap. Quem poenitet. 88. de Poenit. dist. 1. in quo dicitur, quod in Confessione peccata non per nuncium, non per scriptum sunt manifestanda; quod notatum etiam est supra Decis. XV. num. 21. ubi proscripta fuit hæc methodus confitendi. His bene convenit, quod ex relatione Cæsarii lib. 5. cap. 29. refert Magrius in Hierolexic. Verb. Sufurrium. Aliquando scilicet Dæmonem ex contemptu vocasse Confessionem Sacramentalem Sufurrium, quia cum fieret per vocem secretam ad aurem Sacerdotis, videtur in ejus aures susurrare, unde resultat confirmatio doctrinæ, quod Confessio absque magna necessitate non est facienda scripto, sed voce.

## DECISIO XXII.

## SUMMARIUM.

Mutorum diversitas, ac Mutitatis quatuor causæ ex fonte Medicinæ extractæ declarantur. Muti an possint contrahere matrimonium? Profiteri in Religione? ac alia publica officia agere? ex Jurisprudentum dictis ostenditur: nec non ex Historia tum Sacra, tum Profana plurimum Mutorum exempla referuntur. Hi quomodo possint, ac debeant sua peccata confiteri? Deciditur, & refertur casus curiosus, sed periculosus Muti ab Auditore reperti in Visitatione Patavinæ Diocesis.

## SUMMARIUM.

- 1 Muti, Astomi, Brachistomi quinam sint?
- 2 Muti alii à nativitate; Alii post usum loquæ ob infirmitatem.
- 3 Mutorum à nativitate quatuor species.
- 4 Aurium interior structura declarata.
- 5 Auditus Organum in quibus consistat?
- 6 Muti cur alii ingenui; alii semistolidi?
- 7 Muti ex infirmitate qui?
- 8 Muti an possint contrahere Matrimonium? Profiteri in Religione? eligere sibi sepulturam? An esse testes, vel iudices?
- 9 Mutorum exempla in Scriptura Sacra.
- 10 Lingua abscissa Catholici articulate loquuntur.
- 11 Leoni Papa III. oculi, & lingua miraculose restituta.
- 12 Mutus à nativitate, qui futura pravebat. Alii summi ingenii; alii ludentes; ad invicem disputantes.
- 13 Muti scientes scribere, possunt sua peccata in schedula Confessario exhibere. Sed an sint obligati ita confiteri?
- 14 Muti à nativitate nutibus, ac gestibus debent confiteri sua peccata.
- 15 Mutorum trium, quorum Confessiones Auditor audit in Visitatione Diocesis Patavinæ. Unus ex illis acumen mentis; & casus curiosus, sed periculosus.

**A**tenta igitur Scotistarum doctrina, quod Confessio Sacramentalis ex Christi institutione debeat esse vocalis; & ex Ecclesiastica traditione,

ne, ac usu fidelium nunquam interrupto, peccata manifestanda sunt Confessario per vocem penitentis, non autem per exhibitionem Schedulæ, in qua sint scripta ipsa peccata; videndum est, quomodo Muti, & hi, qui linguam impeditam habent, debeant confiteri.

Mutos, & lingua impeditos dari per universum orbem experientia docet, & testantur Historiæ; ut videre est, apud Solinum *cap. 37. Plinium lib. 6. cap. 30. Isidorum lib. 11. cap. 3.* à quibus non dissentit S. Augustinus *lib. 16. De Civit. Dei.* Verum non solum reperiri homines mutos, sed etiam *Astomos*, idest ore carentes, nec non *Brachistomos*, qui parvo sunt ore, referunt Scriptores, quos allegat Schottus in *Physica Curiosa lib. 3. cap. 11. §. 3.* & præcipuè Plinium *lib. 7. cap. 4.* asserentem *Ad extremos fines India ab Oriente circa fontem: Gangis Astomorum gentem sine ore, corpore toto birtam, vestiri frondium lanugine, halitu tantum viventem, & odore, quem naribus trahunt.* Cui adstipulantur Solinus in descriptione *Æthiopiarum cap. 43.* ac novissimè P. Nierembergii *lib. 8. Histor. Natur. cap. 1.* ubi notat, in *Xamocohuyca* esse gentes, *qua membris purgationi excrementorum destinatis careant, ali propterea solum odore fructuum, florum, herbarum, quas olfactui, & naribus, non stomacho condunt.* Sed quidquid sit de Astomis, & elinguis, quos reperiri in rerum natura credere non posse, ait Schottus *d. lib. 3. cap. 11. §. 3.* de mutis hominibus non est dubitandum; circa quos, antequam differamus de eorum Sacramentali Confessione, tria sunt præmutenda, ac notanda, ex triplici fonte, Medicinæ scilicet, utriusque Jurisprudentiæ, ac Historiæ tum Sacræ tum Profanæ excerpta.

Primum præmissum, ac notandum juxta Medicorum doctrinam est, mutos homines alios esse tales à nativitate: Alios tales evadere post habitum loquelæ usum ex infirmitate. Qui à nativitate muti sunt, dividuntur in quatuor sequentes species, Prima est eorum, quorum cerebrum insigniter, ac secundum Principales partes mancum, & oblatum est, qui quidem remanent muti ex imbecillitate intellectus, cujus instrumentum est cerebrum, quo læso, inepti sunt, ac inhabiles ad discendum voces, & ad loquendum, & hujusmodi homines nullius meriti, aut demeriti sunt capaces; suntque quo ad rationis usum brutis comparandi, ut dissevit Zacchias in *Q. Q. Medicoleg. lib. 10. conf. 50. num. 17.* Secunda species mutorum à nativitate est, qui habent quidem cerebrum sanum, sed fortiti sunt aliquam læsionem juxta Principium nervorum Acusticorum, & in ipsismet nervis auditoriis, qui ad ipsum cerebrum deferunt sensibiles species; ideoque, licet hi videantur habere aliquam capacitatem, non possunt loqui ob auditus impedimentum, & remanent satis rudis ingenii, ac quasi stolidi ob morbum in nervis sensoriis prope ipsum cerebrum. Ita Zacchias *d. lib. 10. conf. 50. num. 18.* Tertia mutorum species est illorum, quorum nervi sensorii, & acustici læsi sunt in parte remotiori à cerebro, & proximiori tympano auriculæ. Pro intelligentia sciendum; quod natura instituit aures ad defensionem auditus, sicut supercilia ad oculorum munimentum; & ob hanc causam, via per quam tenditur in auditum, plena est anfractibus ad instar labyrinthi, ut aer ad auditum penetrans his obliquitatibus refrangatur, nullumque ipsi aliqua violenta commotione inferat nocumentum. Propter eundem

finem prædicta via repleta est quodam humore viscoso, quo bestiolæ præpediuntur, ac detinentur, si quæ ad intimum auditus penetrare præsumant. Hujusmodi autem via definit in quandam concavitate, quasi orbicularem, plenam substantia aëra, spiritali, & animata, quæ solet vocari *Aer infusus*; & ne hæc substantia dissipetur, conservatur indemnis, providit natura quandam pelliculam operientem medietatem prædictæ substantiæ, quæ existit versus exteriorem partem aurium; vocaturque dicta pellicula *Myringa*, seu *Tympanum*, quia adinstar tympani formata est, & sustinetur super tria officula diversæ figuræ; quæ nominantur *Malleus*, *Incus*, & *Stapes*. Subsequitur deinde quoddam os, *Labyrinthus* vocatum, eò quod pluribus foraminibus variè inter se occurrentibus, & multis obliquitatibus constat ad modum labyrinthi. Tandem adest alia cavitas *Cochlea* dicta, eò quia quibusdam spiris, ac gyris ad modum cochleæ est prædicta; & in medio hujus cochleæ à cerebro descendit quidam nervus, qui in alios duos diffunditur, quorum unus ad partem dexteram, alter ad sinistram tendit, terminans uterque ad illam concavitatem aurium, ubi residet prædicta substantia aërea, sive spiritali; & deserviunt hujusmodi nervi, ut per eos descendant spiritus animales à cerebro usque ad auditum; ac in eis, unà cum prædicta aërea, spiritalique substantia, ex probabiliori opinione constituitur sensorium, seu organum auditus; ideoque prædicti nervi appellantur *Acustici*, idest auditorii, & sensorii; ut in *Lexico Medico Verbi Acusticus*, Zacchias *d. lib. 10. conf. 50. n. 17.* Collegium Compluten. *lib. de Anima disp. 10. quest. 7.* & Matrius in eod. libro *disp. 5. quest. 3. n. 107. & 108.* ubi eleganti, ac docto penicillo delineat admirabilem aurium structuram.

Igitur si contingat morbus, seu læsio nervorum acusticorum in parte inferiori, ac proxima tympano aurium, homo remanet surdus à nativitate, & ob illam surditatem evadit etiam mutus ex Aristotele *de Histor. Animal. lib. 4. cap. 9. num. 10.* & ibi Maurus; sed cum hac differentia, quod exstante læsione nervorum acusticorum in parte à cerebro remota, ac proxima tympano, muti polent ingenio, & acumine intellectus, ac proinde excellunt in apprehendis rebus, quæ illis commonstrantur; & in exprimendis animi sui sensibus per gestus, & nutus; ut infra in exemplis ex Historiarum fonte desumptis demonstrabitur. Quarta tandem species surdorum, ac mutorum à nativitate eas comprehendit, qui nullum in cerebro, neque in nervis auditoriis vitium habent, sed non audiunt ob interpositionem cujusdam tunice crassioris ante membranam, seu tympanum auris; & ex eo impedimento loquelam non addiscunt, ut bene indigit Hier. Fabricius *de Organo Auditus, part. 2. cap. 4.* quem allegat, & sequitur Zacchias *tom. 1. Q. Q. Medicoleg. lib. 2. tit. 1. quest. 8. num. 6. & 10. 2. d. lib. 10. conf. 50. num. 20.* quibus addo Veslingium, mea ætate publicum Anatomie Lectorem in hoc Gymnasio Patavino in suo *Syntagm. Anatomico cap. 16. Vers. Duplex interdum.* Et hæc de mutis à nativitate.

Alii muti dantur, qui postquam perfectum auditum sunt consecuti, & ac etiam usum loquelæ; illam perdunt, & mutitatem contrahunt vel ex aliqua infirmitate, vel ex alio exteriori accidente, nempe ex ingenti fragore, vel rumore ex improvise per-

percepto, ut exiguū bombardæ, vel fistulæ æneæ. Idem Zacchias d. lib. 10. d. conf. 50. sub num. 20. ubi observat, pueros incipientes loqui, si aliquo prædictorum accidentium afficiantur, & surdi fiant, mutos etiam effici, ea ratione, quia cum humanam vocem amplius non audiant, addiscere non possunt locutionis usum. His similes sunt in mutitate, non perpetua, sed ad tempus limitatum, pueri tenelli, qui cum exquisitissime audiant, tamen non loquuntur aliquando per biennium, & ultra, ob nimiam molliem nervorum acusticorum impediementum articulare voces, donec ipsa sufficienter exsiccentur; ut scribit idem Zacchias 2 Q. Medic. Legal. tom. 1. lib. 2. tit. 1. quest. 8. n. 13.

Quo ad secundum præmissum; ex fonte Uriusque Jurisprudentiæ circa personas mutorum hæc quinque sunt notanda. Primum, quod hi possunt contrahere matrimonium, præstando consensum signis, ac nutibus, ut pluribus citatis Theologis, ac Canonistis tenet Sanchez de Matrim. lib. 1. disp. 8. num. 12. & licet dissentiat Zacchias d. lib. 2. tit. 1. quest. 8. à num. 25. & seqq. non est deferendus Sanchez in suppositione, quam facit, quod sponsus mutus, & surdus à nativitate sit ex illis, qui nullum morbum contraxerunt in sensorii nervis; & habent perspicacem intellectum, itaut comprehendant finem, ac obligationem matrimonii. Secundò, quod iidem muti à nativitate excellenti capacitate pollentes possunt vitam Regularem assumere, & in ea valide proficisci, ut in terminis consuluat Socinus Senior conf. 62. n. 13. & 14. vol. 1. quem citat, & sequitur Fagnanus in cap. Vidua. num. 14. de Regularib. tom. 5. Tertiò quod pariter valent sibi eligere sepulturam; ut docet Pignatellus tom. 1. consult. 17. n. 15. Quarto, quod licet muti, & surdi à nativitate de jure civili non possint facere testamentum l. Discretis. 10. C. qui testam. facere poss. nihilominus ad pias causas possunt testari. Tiraquell. de Privileg. pie cause Privileg. 9. Pignatellus d. tom. 1. consult. 17. num. 17. ubi DD. dummodo sint perspicacis ingenii, qualis erat mutus, & surdus quidam à nativitate, (quem ego cognovi) famulus à pueritia sua Nobilium Comitum de Leonibus hujus Antenoræ Urbis; qui cum vidisset Herum suum gravi morbo laborantem, detulit ad lectum ipsius chartam, calamum, & atramentum, nutibus rogans, ut legatum pingue sibi relinquere dignaretur; quod pius ille Dominus libenter fecit. Quintò tandem muti, & surdi à nativitate non possunt esse testes in judicio; neque Judicis Officio fungi. Speculator in tit. de Testib. §. Nunc tractandum. Vers. Quid de mutis? Scaccia de Sentent. & Re judicata Gloss. 4. quest. 2. n. 9. necessaria est enim loquela, & vox humana in his officiis peragendis. At muti non nati, sed tales effecti ob infirmitatem sunt habiles ad alia officia, potissimum si scribere sciant; nisi mutitas obvenierit ob læsionem cerebri; tunc enim intellectus patitur quandam speciem fatuitatis, ut fusiùs ostendit Zacchias d. lib. 2. tit. quest. 8. n. 32. subdens lib. 4. tit. 1. quest. 8. n. 52. in fine, dari mutitatem imperfectam, quæ à Græcis vocatur *Mogilalia*, & est hæsitantia quædam in loquendo ex aliquo vitio, vel mala affectione; quod etiam docet Lexicon Medicum Verb. *Mogilalos*.

Tertium præmissum profert exempla mutorum ex Historia tum Sacra, tum Profana; qui vel miraculosè loquelam sunt assecuti; vel mirabiles habiti sunt in nutibus, ac gestulationibus loco loque-

Doct. Cleric. Tom. 1. Lib. IV.

la. Ex historia Sacra habetur; I. Mutitas S. Zachariæ Patris S. Joannis Baptistæ Luc. 1. Vers. 22. quem DD. volunt, fuisse mutum, & surdum simul; ideòque cum esset imponendum nomen puero, die octavo, *Innebant* (vicini, & cognati) patri ejus quem vellet vocari eum? Luc. 1. Vers. 62. non enim audiebat eorum voces; nam, ut scribit Laëtantius lib. de Opific. hom. cap. 11. Aliquando casu accidit, ut morbo aliquo hic aditus obseptus, vocem non transmittat ad linguam; faciatque de loquentibus mutos, quod cum acciderit, auditum quoque obstrui necesse est; ut quia vocem emittere non potest, nec admittere quidem possit. II. Mirandi sunt muti, quos Christus Dominus fecit loqui, ut legimus in Evangelio Matthæi cap. 9. vers. 32. cap. 12. vers. 22. & cap. 15. vers. 30. ibi: Et accesserunt ad eum turba multe, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos; & proiecimus eos ad pedes ejus, & curavit eos; itaut turba mirarentur videntes mutos loquentes, &c. Quod dictum, & datum erat per Isaiam cap. 35. vers. 6. in signum veri Messie in illis verbis: Tunc aperiuntur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum. Duplex enim concurrebat miraculum in aperiendis linguis mutorum, ac surdorum à nativitate; Unum, quòd reciperent facultatem loquendi, quam nulla ars humana, sed sola divina potentia concedere potest. Mercurialis de Morbis pueror. cap. 8. Zacchias d. lib. 4. tit. 1. quest. 8. num. 52. Alterum, quòd statim, soluto vinculo linguæ, haberent scientiam loquendi, quam sine miraculo in instanti nullus valet percipere; nam, ut ait Philosophus, *Auditus est porta mentis*; quod examinat idem Zacchias lib. 2. tit. 1. quest. 8. num. 6. atque Menochius in *Storis* part. 2. Centur. 4. cap. 62. nec non in sua *Oeconomica Christiana* lib. 2. cap. 2. num. 3. ubi refert fabellam Rabbiorum, cui Moyses (ut habetur Exod. cap. 6. vers. 12.) fuerit tardioris, & impeditioris linguæ? III. Ex historia Sacra habemus prodigiū illud, quod anno Christi 484. in Tipasensi Mauritanæ civitate contigit; ubi cum jussu Regis, quam plurimis Catholicis, Ariano ejus civitatis Episcopo communicare detrectantibus, linguæ radicibus abscissæ essent, nihilominus iidem, Spiritu Sancto præstante, ita absque linguis articulate, quamdiu vixerunt, locuti sunt, quomodo antea loquebantur, ut ex Eminentiſſis. Cardin. Baronio compilat Spondanus ad d. An. 484. n. 8. quod pluries evenisse in Sanctis Martyribus legimus in eadem Historia Ecclesiastica Anno 513. n. 5. Anno 657. n. 1. & Anno 742. n. 1. & sæpè alibi. IV. Sed & illud mirabile referendum, quod de Leone Papa Tertio legitur Anno 799. cui cum impii homines oculos eruisent, præcidissentque linguam, sequenti nocte per intercessionem SS. Apostolorum & visum recepit, & lingua ei restituta fuit. Spondan. add. Annum 799. n. 1. & novissimè Joannes Palatinus Venetus in *Gestis Pontificum* tom. 1. de Leone III. pag. 406. ubi Annales Francorum, Fuldenses, alioque Auctores hanc veritatem attestantes allegat. V. Ulterius innumeros propè Sanctos meritis suis ante, ac post mortem mutis, loquelam restituisse ostendit Jo. Bonifacius Baggia in *Admirandis Orbis Christiani* tom. 2. lib. 2. cap. 1. §. 2. per totum; ac §. 3. ad quem Lectorem piū remittimus. VI. Ex historiis autem profanis plura collegit de mutis hominibus Schoetus in *Physica curiosa* lib. 3. cap. 34. §. 2. & inter cetera, quòd

M

quòd

quoddam mutus quidam, ac surdus ab incunabulis  
 12 futura praevidebat; cumque famularetur cuidam  
 Civi Constantienſi opulento, eundem navigatu-  
 rum per lacum nutibus, ac gestibus ab itinere diſ-  
 ſuadebat; ſed Hero navigare volenti lamentis, &  
 gemitibus malum ei impendere inſinuabat; qui-  
 bus non attentis Dominus navim conſcendit, &  
 abiit; at paulo poſt coorta tempeſtate naufragio  
 periit. Similiter, quoddam Norimbergae fuerunt  
 Adoleſcens, ac Puella muti, & ſurdi à nati-  
 vitate. Haec acu, & ingenioſa textura alias  
 puellas facile ſuperabat; Ille geſticulatio-  
 nibus apprimè ſuas cogitationes exprimebat, &  
 in omnibus alearum luſibus praestabat. At ju-  
 cundum eſt, quod P. Athanaſius Kircherus ſcripſit  
 Anno 1659, eidem P. Schotto, (ut notat d. libr.  
 3. cap. 11. §. 3.) ſe apud Magnum Ducem Flo-  
 rentiae vidisse, his verbis; Erano due di ſua natura,  
 e mutoli, e ſordi. *Queſti comandati, che tra eſſi ſcan-  
 tiero violentemente diſputaſſero: (il Problema era, ſe era meg-  
 lio eſſere ſordo, e muto; o veramente ſol uno di queſti  
 due) lo fecero con ſegni tanto eſpreſſivi, che mi fecero  
 affatto ſtupire; eſſendo veramente coſa quaſi prodigio-  
 ſa, come poſſino tanto al vivo dare ad intendere con  
 i geſti, e ceniti quello, che un' altro eſprime con le pa-  
 role. Diceret, praedictos mutos ſtudiſſe l'Arte  
 de Cenni, libro laborioſo quidem, ſed erudiſſimo  
 ſapientis Viri Joannis Bonifacii typis dato Vin-  
 centia Anno 1616. Utique aſſeverandum venit  
 praedictos omnes mutos ex illis, qui tales effe-  
 cti ſunt non ex modo cerebri, ſeu, nervorum  
 acusticorum, ſed ſolo impedimento membranae,  
 apud tympanum aurium, ut ex Medicis diximus  
 ſupra in quarta ſpecie primi praemiſſi.*

His ad ornatum materiae de Mutis praenotatis,  
 deveniendo ad modum, quem ipſi muti tenere  
 debent in conſtitendis ſuis peccatis, dicendum eſt,  
 13 quoddam ſi antea habuerint uſum linguae, & didice-  
 rint ſcribere, poſſunt ſua peccata in ſchedula de-  
 ſcripta Confeſſario manifeſtare; actus doloris emit-  
 tentes; dum ipſe Confeſſarius ad ipſorum praesentiam legit, ut notant omnes Canonista, quos  
 allegat, & ſequitur Fagnanus in cap. Omnis utrius-  
 que ſexus, num. 36, de Poenitent. & Remiſſi. Et hoc  
 modo accusatione facta proprium peccatorum ſunt  
 à Confeſſario abſolvendi. Potrò an muti, ac ſur-  
 di praedicti teneantur, & obligati ſint hoc modo  
 per ſcripturam conſiteri & de ſuis peccatis ſe accu-  
 ſare, non ſunt concordēs Moralista, quos cumu-  
 lat Diana part. 5. tract. 6. reſol. 4. quae collocata  
 eſt in Operis Coordinati tom. 1. tract. 3. reſol. 72.  
 Alii negant, ea ratione, quia mutus ſe exponeret  
 periculo amittendi ſcripturam, & publicandi ſua  
 peccata; ſeipſumque inſamandi; ideoque non tene-  
 tur, cum conſeſſio de ſui natura eſſe debeat ſe-  
 creta; propter quam cauſam neque tenetur adhibere  
 interpretem Poenitens, qui neſcit idioma Con-  
 feſſarii. E contra alii affirmant, quia qui obliga-  
 tur aliqua lege magni momenti, praecipue ſi ſit  
 ordinata ad implendam legem divinam, te-  
 netur adhibere diligentiam, & apponere media  
 non magnae difficultatis, ut legem ſervet. Sed  
 talis eſt lex Eccleſiaſtica de annua Confeſſione, ad  
 quam adimplendam tenetur Mutus uti mediis  
 ſibi poſſibilibus, inter quae ſcribere ſua peccata in  
 papyro oſtendenda Confeſſario. Ergo tenetur  
 hoc medium adhibere. Neque relevat timor  
 manifeſtandi, ſeu publicandi ſua peccata; quia  
 ſchedula illa ſtatim ſcinditur in minutiffimas par-

tes, vel comburitur. Hanc opinionem tenent ſep-  
 tem graviffimi Theologi apud Dianam in ſupra-  
 citata reſolutione; quibus ego adhaerendum cen-  
 ſeo; hac alia poſſimum ratione: quoddam ubi agi-  
 tur de periculo animae, ad illud evitandum, omnis  
 labor, & omne ſtudium eſt adhibendum. Verum,  
 Mutus habens mortalia, ſi nequit alio modo ea  
 manifeſtare Confeſſario, niſi ſcripta in papyro; ſi  
 recuſet ea ſcribere, non poteſt ſalvari, niſi eli-  
 ciatur actum perfectae contritionis. At nullus ne-  
 gabit, utiliſſus, ac ſecuriſſus eſſe ſuſcipere Sacramen-  
 tum Poenitentiae, praevia exhibitione ſchedulae,  
 in qua ſcripta ſint peccata; ſiquidem tunc ſuf-  
 ficat attritio ad obtinendam remiſſionem pecca-  
 torum, & ad aeternam ſalutem conſequendam,  
 virtute Sacramenti.

Quoddam ſi muti tales ſint, ac ſimul ſurdi à na-  
 tivitatem, & neſciant ſcribere; tenentur ſua pec-  
 cata conſiteri nutibus, ac geſtibus; exhibendo  
 actus doloris, & propoſitum ſe emendandi, ut  
 14 optimis rationibus demonſtrat Maſtrius in 4. Sent.  
 diſp. 5. n. 141. & 142. ac Summa Diana Verb.  
 Confeſſionis modus, n. 19. Circa quos Mutos duo  
 ſunt obſervanda ex doctrina Gobati in Theol. Ex-  
 perim. tract. 7. num. 476. & 477. Unum, quoddam  
 ſi adſit Confeſſarius probe intelligens nutus Mu-  
 ti, coram illo debet Mutus ſe accuſare, non au-  
 tem coram alio, vel poenitens dictos nutus non  
 percipiente, vel ſolam imperfectam. Alterum,  
 quoddam Confeſſarius non callens nutus, ac geſtus  
 Muti, debet prudenter ſe inſtruere ab ejus do-  
 meſticis de ſenſu, ac ſignificatione eorundem  
 nutuum, ac geſtuum; ut poſſit comprehendere  
 ſpecies, ac numerum peccatorum ejusdem Muti  
 poenitens, quantum ſibi eſt poſſibile, ut vali-  
 de cum abſolvat. Nam ex Doctrina Bonacinae,  
 Reginaldi, Laymani, Palai, & Lopezii, quos ci-  
 tat, ac ſequitur Gobatus d. tract. 7. num. 482. &  
 483. poteſt Confeſſarius abſolvere Mutum, ſicut  
 quemcunque alium poenitentem ignota ſibi lin-  
 guae, ſi unum, aut duo peccata ſic exprimat, ut à  
 Confeſſario intelligantur, velitque omnia conſi-  
 teri.

Quadrageſima ab hinc circiter annis, cum ego per-  
 currerem hanc Dioceſim cum ſanctae memoriae  
 Eminentiffimo, ac Reverendiſſi. Domino meo  
 GREGORIO CARDINALI BARBADICO Epi-  
 ſcopo Patavino illam viſitante, tanquam ejus Au-  
 ditor Generalis, occaſionem habui excipiendo Sa-  
 cramentalem Confeſſionem trium Mutorum di-  
 15 verſae inter ſe capacitatis; unus enim erat propè  
 fatuus, tanquam hi qui habent oblaſos nervos  
 acusticos propè cerebrum; alter habebat medio-  
 cre ingenium, quaſi oblaſis nervis propè tympa-  
 num; tertius verò pollebat perſpicaciffimo intelli-  
 ctu; quem crediderim eſſe mutum, ac ſurdum  
 à natiuitate, non ob laſionem nervorum, ſed ob  
 obſtaculum tunicae propè tympanum, ut explica-  
 tum eſt ſupra in primò praemiſſo. Me Parochus  
 edocuit ſignificatum nutuum, ac geſtuum eorun-  
 dem Mutorum; qui tunc de iracundia, atque  
 vindicta ſe accuſabant, quando manum in mo-  
 dum minarum concutiebant; de gula, ad os di-  
 gitos projiciendo; de ebrietate pollicem elevatum,  
 quaſi cyathum in idem cſinſundendo; de accidia  
 ſuper vola manus, caput reclinando; & ſic de aliis.

Curioſus autem, eſſi periculos ſimul fuit ca-  
 ſus, qui praedicto Muto acutiſſimi intellectus ac-  
 ciderat non multò ante dictam Viſitationem.  
 Cal.

Calceolarius, ac Cerdus erat ipse excellens, ac pro nobilibus tantum viris calceos suebat, industriaque sua non paucos argenteos cumulaverat, quos in arca sub clave custodiebat. Quadam die reliquit inadvertenter clavem in arca, ex qua statim ipsius soror, argenteum unum surripuit. Paulo post Mutus, reperta Clavi in arca, eam aperuit, & numeravit argenteos, furtumque jam factum agnovit. Sororem apprehendit, eam rigide baculo verberaturus, nisi nummum restitueret. Cœpit latruncula negare furtum; & quia pridem in ea domo aliquantulum moratus fuerat, quidam restaurator Lebetum, vulgò *Un conza Lavari*, innuebat eum furem. Intellexit Mutus, & credidit, fuisse reum furti, quem soror indigitabat, vidensque illum per fenestram à longè, arrepto selopo, & ense furiosus currebat, ut innocentem lebetarium, non multò inde distantem, allequeretur, ac occideret. Plures erant homines in via, qui Muto obstitērunt, rogantes, quid haberet? & cognita ejus furoris causa, suasi de innocentia illius lebetarii, festinatò vocatam ad se sororem obstrinxerunt, ut argenteum redderet, prout fecit, veniam de furto, de mendacio, ac de calumnia coram Muto genuflexa supplex petendo. Delectabat eundem Mutum avium venatio, quæ summo manè in illa Villa fiebat; sociosque rogabat, ut eum è lecto vocarent diluculo, Sed quia eos pulsantes ostium non audiebat, funiculum sibi ad brachium alligabat, illumque ab alia extremitate è fenestra pendere sinebat, quem Venatores trahentes, Mutum à somno excitabant; qui surgens velociter, ibat ad capiendas aves scolopi explosione, in qua mirabiliter excellebat. Magnam articulorum fidei cognitionem nutibus exprimebat, & quo ad ingenii, ac intellectus acumen non erat inferior mutis illis, quos P. Kircherius Florentiæ fuerat admiratus.

## DECISIO XXIII.

## ARGUMENTUM.

Integritas, quæ est secunda Confessionis Sacramentalis conditio, in præsentī Decisione declaratur; quæ tria requirit, Numerum, Circumstantias, & Effectus peccatorum. Ratione, Juribus, & exemplis Animarum damnatarum probatur necessitas hujus integritatis. Hæc tamen ex divina institutione dispensatur in sex casibus Physicæ, vel Moralis impotentiae hic relatis, & expositis, in quibus clarè, ac doctè ostenditur, quomodo, & quando liceat tacere aliquod peccatum in Confessione? Et quid agendum cum habente non reservata, ac reservata simul, ea volente confiteri?

## SUMMARIUM.

- 1 Integritas quid significet? & quid denotet in Confessione?
  - 2 Circumstantia non mutantes speciem explicanda in sex casibus.
  - 3 Integritas Confessionis alia Materialis, alia Formalis.
- Doct. Cleric. Tom. I. Lib. IV.

- 4 Integritatis Confessionis necessitas probata Ratione, Juribus, Exemplis.
- 5 Anima damnata ob dimidiatam Confessionem.
- 6 Trium Daemonum nomina Claudens corda, Claudens crumenam, Claudens ora.
- 7 Integritatis omisso in Confessione in casibus necessitatis est ex Divina permissione.
- 8 Integritas cessat ob oblivionem inculpabilem peccati.
- 9 Infirmus impotens manifestare sua peccata; absolvendus.
- 10 Mortis periculum excusat ab integritate Confessionis.
- 11 Metu gravis detrimenti in vita, fama, vel anima, permittitur dimidiatio Confessionis. Sed non semper ut hic.
- 12 Atrox an sufficiat in Confessione dimidiata pro peccato non manifestato?
- 13 Peccatum occultum ex justa causa in Confessione, quamprimum est alii Sacerdoti manifestandum.
- 14 Complex an manifestandus in Confessione?
- 15 Reservatum ob peccatum an liceat dimidiare Confessionem?
- 16 Reservata audiens, ut absolvat, debet etiam non reservata audire.
- 17 Inferior quomodo, & quando absolvat habentem reservata?
- 18 Absolutio à reservatis prohibita per Concil. Trid. & per Decretum Clem. VIII. Ejusdem Decreti interpretatio.
- 19 Periculum damni quantum esse debeat pro dimidiata Confessione?
- 20 Dimidiare Confessionem ob magnum contentum peccantium, est opinio damnata?

Confessionem Sacramentalem, ut valida sit, quatuor condiciones requirere diximus in superiori Decif. XV. n. 32. videlicet, ut sit Diligens, Integra, Fidelis, & Obediens. Diligentiam consistere in discussione, ac examine conscientiae ostendimus in Decif. XXI. cujus occasione examinavimus celebrem quaestionem; An ad prædictam diligentiam servandam spectet obligatio scribendi propria peccata? nec non aliud dubium, utrum liceat peccanti non exprimere voce sua peccata, sed illa jam scripta in papyro exhibere legenda Confessario? saltem aliqua legitima causa subistente; præcipue ob loquelæ impedimentum? Inde motivum sumplimus in Decif. XXII. agendi de Confessione Mutorum. Completa itaque expositione primæ conditionis ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ necessariæ in Pœnitente, quæ est Diligentia in examinanda conscientia; agendum modò venit de secunda conditione, nempe de Integritate Confessionis Sacramentalis, pro cujus clara intelligentia quatuor sunt videnda.

Primo: Quid sit integritas Confessionis, & in quibus consistat?

Secundo: Quotuplex?

Tertio: Unde proveniat necessitas hujus integritatis?

Quarto: In quibus casibus valida sit Confessio sine integritate?

Quo ad Primum. Hoc nomen Integritas de sui natura importat totam rem, cui tale nomen imponitur, ut si dicatur integer homo, integra vestis, integrum ædificium; intelligimus, quod nulla pars deficiat homini, vesti, ædificio; similiter, quando